


16.

CLARISSIMI VIRI
PETRI HALLE⁷
REGII SACRORUM CANONUM
PROFESSORIS,
PARISIENSIMUM ANTECESSORUM
PRIMICERII ET COMITIS
ELOGIUM.



Amantissimo Collegæ dixit
*Amantissimus Collega MICHAEL DE LOY,
Parisiensium Antecessorum Primicerius
& Comes.*





ILLUSTRISSIMO VIRO
JOANNI LE CAMUS
REGI A CONSILIIS,
LIBELLORUM SUPPLICUM
IN REGIA MAGISTRO
ET
PARISIENSIS PRÆTORI.

VEM vivum adamasti
Hallaum, **VIR ILLUS-**
TRISSIME, Ecce hunc
nativis, quæ potui coloribus adum-
bratum & utcumque redivivum
Tibi repræsento. Non ingratum, ut
spero, non modo Literatis, in quorum
ā ij

delitiis fuit, sed & Tibi, qui Literatorum præsidium es & decus, imprimis jucundum. Nam, cum Juridicam Scholam, in cuius tum procuranda instauratione, tum constituenda disciplina, tum sua in Jure docendo eruditione, diligentia ac fide, gloria amplificanda, totos triginta sex annos Hallæus impendit, tam mirificè colas, ac tua in illam cooptatione tantum exornes: cum Doctores illius omnes, eorum jura ac commodatam jugi studio quotidie tuearis ac promoveas: cum meipsum inter alios tam singulari patrocinio digneris, annon Hallæi egregiarum animi dotium Tibi quoque qualisqualis hæc grata acceptaque erit commemoratio? Erit certè, erit, **VIR ILUSTRISSIME**: imò, si vacat & tantillum otii est, leges. Et vero.

esse necesse est, Tibique ab innumeris,
quibus in judicando premeris , fo-
rensisibus negotiis aliquando feriari ,
nisi in idem adduci vitæ discrimen
velis , in quod , ne Te postremus ille
morbus tuus adduceret , tantum peri-
culum fuit : quo , dum Princeps ,
quanta est Civitas , dum singuli
ejus Ordines , Te laborante non tam
laborare , quam penè exanimati vi-
debantur : dum pauperes , quorum
alter parens es & altor , suis fleti-
bus : viduæ , quarum es defensor ,
ululatibus : orphani , quorum tutor
es suis fletibus ac planctu ; senes
quorum in ærumnis solatium es ,
lamentis , omnes denique conjun-
ctis clamoribus circumquaque obstre-
pebant : Nos , qui omnium loco Tibi
eramus , mærentes & afflicti extre-
ma quasi suspiria ducebamus . At

â jucundè jam ac faustè mutatas re-
rum vices ! Te scilicet Deus Opt.
Max. nostris tandem precibus exo-
ratus , Regi , Regno & nobis sal-
vum & incolumem reddidit , con-
valuisti : hæc votorum summa tum
erat , unicum supereft , ingens illud
& singulare , quod ab illo nobis
concessum est munus velit esse diu-
turnum.

MICH. DE LOY , Parisiensem
Antecessorum Primicerius & Comes.



Clarissimi Viri
PETRI HALLÆI
ELOGIUM.



ATUS est Petrus Hallæus die 8. Septembris, an. 1611. Bajocis, quæ Bellocassiorum Civitas Episcopalis est in Neustria, ex honestis parentibus. In ea civitate primum in humanioribus literis studiorum tyrocinium posuit : indè Cadomum, quæ Antonio Hallæo Regio in illius Academia Eloquentiæ & Historiæ Doctore, ac Poëtices famâ notissimo

doctis urbs hospita Musis
dicitur & revera est, se contulit. Ibi tanquam in celeberrimo omnigenæ eruditionis Athenæo Philos̄phiæ, Juris, & Theologiæ studio quinquennium impendit. Per id temporis ejusdem Antonij

Hallæi, in cuius familiaritatem venerat, usu & consuetudine ad insistendum humaniorum literarum, quarum alta jam fundamenta jecerat, studio excitatus egregio hoc duce, quem ut parentem filius perpetuo coluit & à quo vicissim ut à filio parens usque adamatus est, eam viam tenuit, quâ brevi ad perfectissimam illarum cognitionem perveniret; sibi ut quod quondam gratulari solebat Plato, eo scilicet natum se esse tempore, quo Philosophorum principem Socratem sortitus esset preceptorum, hoc sibi gloriari meritò Hallæus posset, in illa se incidisse tempora, quibus Antonium Hallæum natus esset studiorum suorum ducem ac magistrum. Quantùm assiduis illius colloquijs ac diurna conversatione in longissimo humaniorum literarum curriculo profecerit ex eo conjici potest, quod admodum juvenis adhuc ad illam animorum conciliatriculam, Rheticam dico, in percelebri ejusdem Academiæ Collegio edocendam, ac non multò post ad amplissimam illius implendam curulem, pluribus magna animorum contentione ad illam anhelantibus, nihil tale cogitans assumptus fit.

Ardua profectò ac perdifficilis Hallæo docendæ Eloquentiæ provincia, & eò

maximè quòd in illa administranda clarissima duo illius Academię lumina, hinc veterum ille Gallorum historiæ scriptor egregius Antonius Gosselinus, indè Tornorupæus Juvenalis & Persii interpres eruditissimus, mirificè non ita pridem excelluissent, quique Decessori Hallæo, ut conceptæ de se existimationi responderet, si non superandi certè omnino erant exæquandi. Et verò utrumque si non superavit, neutri profectò omni ex parte simillimus non fuit. Testes sunt tot ab eo habitę Orationes, in quibus cum sermonis elegantia rerum gravitas, cum oratoriis luminibus sententiarum pondus tam artificiosè conjuncta elucent ; testes tot Poëmata vel ipsis sœculi hujus Poëtarum principibus non inficianda & in sacris illis certaminibus, quæ cùm Rothomagi, tūm Cadomi in honorem conceptæ sine avita labe Virginis quot annis inter celeberrimos Galliæ totius Poëtas committi solent, frequentissimis præmiis donata.

In variis tunc Normaniæ locis, sed Cadomi imprimis graves ac periculosos malesana plebs tumultus excitaverat : ad eos compescendos Petrus ille Seguérius vir suâ Cancellarii dignitate longè superior missus est. Illuстрissimum virum, cuius erga ingenuas artes earumque Pro-

fessores tam vehemens semper studium fuit, qui illarum cognitione supra fidem eminebat, Cadomum accedentem purpureis ornatus infulis, singulisque frequentis Academiæ stipatus Ordinibus tam eleganti & opportuna oratione exceptit, hac ei tam gratiosus fuit, ut illum familiari ac diurna postea consuetudine & mensa sua cohonestaret. Quid quod, cum ipsum deinde Hallæus ad actum, quem pro consequenda in utroque Jure Doctoratus laurea celebraturus erat, invitasset, ipse Vir illustrissimus eidem unâ cum ingenti, quem habebat, Procerum comitatu, non adesse modò, sed &, quo nihil Hallæo potuit unquam honorificientius accidere, hunc eam, quam sortes hominum fataque dispensabat, manu, Doctoris laureâ coronare dignatus est.

Ex eo creditum vulgo Hallæum de implenda in illa studiorum Universitate, cum primum vacaret, Antecessoriâ dignitate cogitare, idque ita ut Antecessorum, qui tum in illa docebant unus, quem ea imbuerat opinio, illi Cathedram ac præterea quam habebat unicam eleganti specie & florentibus annis filiam cum quinquaginta mille libris in successionis antecessum dotis nomine offerendam curaverit: sed Hallæus solo Musarum

amore captus, matrimonioque quod ardentis literarum, quo fervebat studio, esse impedimento persuasum haec tenus habuerat, prorsus impatiens, compositis Provinciae motibus, Parisios redeuntem Seguérium secutus est. Parisiis vix menses duos commoratus, illiusque quo excellenti à natura praeditus erat, ingenii quibusdam editis speciminibus, hoc consequutus est, ut à singulis celeberrimorum Collegiorum moderatoribus, laudabilibus honorariis propositis, ad publicè docendum certatim invitaretur. Cadum tamen reversus est, ubi vix aliquantulum constiterat, cum ecce absens licet & ignorans in Academiæ Principis album extra ordinem cooptatus ad eam reversus est. Reversus Petri Padetij vitæ sanctimonia, ac morum suavitate delinatus Harcuriano cui ille præerat, acquievit. Quis credat? cum primùm ad Rheticæ in illo docendæ munus accessit, ad illum tam numerosum esse factum lectissimæ omnium ordinum Juventutis concursum, ut intrâ unius anni curriculum uno & altero auditorio eidem continendé non sufficientibus, ad tertium illudque amplum magis ac spatiostum migrare coactus sit.

Inter docendum Opuscula quædam,

quorum ei argumenta Seguërius interdum prescribebat, tum Græcâ, tum Latinâ linguâ, tum solutâ, tum strictâ oratione Hallæus in lucem emittebat. Ejusmodi sunt inter cætera, quæ solutâ oratione scripsit, *Regentæ Apologia*, *Ludovici Justi funebris laudatio*, *Gastonis ejus patrui Panegyris*. Eodem numero sunt, quæ stricto sermone exaravit, *Varia Regni cùm Principum*, *tùm Procerum Encomia*, *Epicedia*, *Eucharistica*, *Expugnati Atrebates*, *Recepta Ruscino*, *Melita vietrix*, *Osmannus Tragœdia*, ex quibus tantam famam consequutus est, ut, eâ in dies efflorescente, benigno ejus Mœcenate Seguërio negotium apud Regem procurante, Poëtæ & Interpretis Regii munere ab eo donatus sit. Mirum! quâm varia in clarissimo Viro rerum omnium, quæ ad liberales Artes pertinent, cognitio! Quâm multiplex in *Geographia* & *Historia eruditio*! in quibus tam versatus erat, ut in eruditissimorum hominum confessibus, in colloquiis, omnium locorum, ac temporum homo: ut ei non minus ac Ennio plura esse corda vulgo circumferretur.

Cum verò ex improbo & pertinaci in gravissimo docendi munere labore eò fractas & debilitatas vires sentiret, ut, nisi

ab illo citò desisteret, brevi mortem op-
petiturus videretur, amicorum consilio,
gravissimo oneri se subduxit & recupe-
randæ sanitati biennii otium dedit. In
eo otii genere, in quo nunquam minùs
otiosus fuit, quām cum erat otiosus, il-
ludque animo sèpius reputans, quod est à
Marco Catone olim tam sapienter
dictum, *Nihil agendo male homines agere.*
Quin etiam ut Ulysses ad dilectam sibi
Ithacam, sic & ille ad Jurisprudentiam,
quam unicè deperibat, continuò respe-
ctans ex amoeniorum literarum viridariis,
Bucolicorūmque versuum modulis, qui,
teste Hieronymo, citò ut phasmata pe-
reunt, ad sacrorum Canonum, Legum-
que castra felix profugus se recepit.

In singulis fermè Galliæ totius Scholis,
sed in Parisiensi potissimum cæterarum
principe sanctissima Juris disciplina du-
dum corruerat: quique superioribus sè-
culis supra cæteros Parisiensis Academiæ
ordines caput tantùm extulerat,

Quanùm lenta solent inter viburna cupressi, * * Virgil.
Consultissimus Ordo, tribus ex Antecel-
foribus suis per continua funera intrà
triennium elatis, unoque eorum tantùm
superstite Philippo Buisinio illius susti-
nendę gloriæ non satis pari, in sui um-
bram miserè defluxerat. Quis expurgan-

dis, quibus Parisiensis Academia à quibusdam annis fœtebat illius Augiæ stabuli fôrdibus incumbat? Quis gravissimum & quo eadem in ægro ejusdem corpore laborabat, malum depellat? Ecce Hallæus quasi Hercules aut Averruncus aliquis Deus operi manum admovere, quibus scatebat, fôrdes expurgare, quo laborabat malum depellere, verbo jacentem & afflictam Scholam erigere apud se constituit. Excitandæ consilium cum optimo Mœcenate Seguërio, cum illustrissimo Senatûs Principe Bellevrœ, clarissimisque Triumviris Regiis, sed cum Taleo imprimis communicat: hi consilium probant, hoc promovere meditanti animos addunt, exequendo opem & auxilium pollicentur. Hallæi desiderium Seguërius ut vehementius inflammet, ex tribus, quæ in Juridica Schola vacabant Antecessoriis muneribus, secundum ejus gratiâ annuo mille librarum reditu à Rege dotari, ipsumque ad illud evocari procurat. Muneris codicillos Regio sigillo munitos ab illustrissimo viro Matthæo Molé, in quem sigilli custodia, quo Seguërii fato, incertum, translata fuerat, gratis Hallæus accepit. Ad primum ex illis muneribus clarissimus vir Joannes Doujat paulò ante extra ordinem evocatus fuerat.

Clarissimi viri tres Buisinius, Doujatius & Hallæus memores *Bene universa geri*, si ipsum rei cuiusque principium fiat decens & amabile Deo, esseque difficile ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt incoata principio, verbo, rerum omnium exordium & finem constituendum esse Deum; * quæ dudum intermissa fuerant Facultatis Sacra instaurant, tum, quod vacabat Antecessorum honorem alterum continuò propositis in principe aliisque Studio rum Universitatibus programmati, disputationis aleæ subjiciunt, subjectam post acerrimam Candidatorum decem concertationem uni ex iis meritissimo viro Claudio le Blanc addicunt. Verùm cum Antecessores illi quatuor lectissimæ, quæ ad Juridicam Scholam brevi convolutura sperabatur, Juventuti edocendæ sufficere non viderentur, alia duo jam pridem obsoleta Antecessoria munera restituta sunt, eorūmque unum clarissimo viro Francisco Cottin, alterum clarissimo viro Michaëli Deloy adjudicatum est. Senario Antecessorum numero restituto, honorarios viginti quatuor Doctores plerosque Archiepiscopos & Episcopos, plerosque Consistorianos Comites, Amplissimi Ordinis Senatores, ac primæ dignationis Advocatos ejusdem Amplis-

* C. non
observetis.
16.26. q.7.
C. Princi-
patus. 25.
1. q. 1.
Nov. 6.
& Gregor.
Nazian.

simi autoritate Ordinis coóptant, pluribus denique illius Senatus-Consultis suum in solo Jure Canonico, quod unum tunc in ea Schola docebatur, Licentiatis in foro patrocinandi privilegium afferi procurant.

Verùm, ut, cum primùm novum aliquod apparet Sidus, ventorum exasperari turbinibus Aér solet & tempestatibus inhorrescere: sic statim atque Hallæi potissimum curâ & sollicitudine Schola hæc cœpit efflorescere, continuò vicinorum Juris Facultatum Antecessores restituendæ in singulis Scholis suis disciplinæ, suique redditûs decrementi metu anxiò livore transversos agi, ad arroducta Parisiensis jura vehementi animorum contentione advolare in Parisensi Senatu, in Regis Consistorio de illis controversiam movere. In tantis rerum angustiis quid faciat Hallæus? In eo infelior, quòd, extero illo urgente bello, nonnullis Doctoribus honorariis, quos in Scholam ejus dignitatis amplificandæ causâ adscribi curaverat, privata quorundam Antecessorum dissidia in sui commodum alentibus, domestico conflagraret? Consultissimam enim Scholam navim tunc dixisses, quam intus vehementis flamma depascat, foris ventorum

turbines fluctibus obruant. Quis tibi
tum temporis animus, Hallæe? Quid
moliaris? Quid agas? Quid agat Hal-
læus! Hallæum, hoc est, virum pru-
dentem & consultum agit, habitoque
cum Clarissimo Collega Delegio, quem
in promovendis sui Ordinis rebus socium
& adjutorem perpetuum expertus hacte-
nus fuerat, consilio, difficilique illa-
rum statu varias in partes versato, peri-
tissimum imitari nautam constituit, qui,
nimium sæviente procella, clavum re-
mittit, vela contrahit, anchoram dejici-
cit, & dum *fata viam inveniant*, ab in-
cepto cursu tantisper deflectit, atque
aliò, quam quò volebat, abripi se finit,
tempestatique servit, si quando eâ pacatâ
in viam redeat &, quam naëtus erat
Spartam, eidem postea feliciùs exor-
nandæ & amplificandæ incumbat. Deus
immortalis! quæ inter tot rerum angu-
stias Hallæi dexteritas? Quæ constantia
enituit? tanta certè, ut qui eam mira-
bantur, minorem experiri maluissent.
Quot labores, quot famæ & existima-
tionis dimicationes patiendo superavit.

Acerbâ porro ac vehementi tempe-
state feliciter compositâ, cœptum opus
longè alacriori quam antea spiritu re-
sumit, crebras orationes habet, quibus

Auditorum animos ad Principis disciplinæ amorem inflammet, quibus illos à vicinis Juris Academiis, in quas, qui tum vænum turpiter prostatabant Academicos honores adepturi sese agminatim proripiebant, avocaret, & ad hujus gremium revocaret purioribus Jurisprudentiæ præceptis informandos. Quàm assidue eam in rem, quàm omnigenè eruditioñis suppellectile instructę recitationes! Quàm præclara & utilia! Quàm ad utriusque Fori usum prudenter accomodata feligebat illarum argumenta! Quàm ardens Auditorum studia promovendi desiderium, quos post explicatam eorum, quæ dictaverat partem aliquam, statim interrogabat, variisque ad illas pertinentibus quæstionibus exercebat. Ad unumquodque disciplinę genus perdiscendum, iis saepius inculcabit, plurimum valent Natura & Ars, sed Exercitatio & disputatio primas tenent: sunt illæ, addebat, certissimum veritatis cribrum: ut ex similibus attritu ignis, sic ex illis hęc eruitur. In omni disciplina, pergebat ex Cicerone, infirma est artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis: sic enim, ait idem eloquentiæ Princeps exercetur, firmatur, & alitur memoria, lingua expeditior fit & ingenium acuitur: denique,

denique, quod proximum est, veritas splendescit & illustratur.

Ad hæc quàm graves, quàm indefessi in constituenta Juridicæ Scholæ disciplina, in ejus forma rectâque docendi ratione confirmanda labores ab eo suscepiti? Quid si dixero eandem à Rege Maximo posteà probatam? Juris enim studiis quotidie lætiùs efflorescentibus ab eodem Maximo Principe, illustrissimo Tellerio rem promovente, illustrissimo Peleterio nunc regni administro collaborante, adnitente clarissimo Talèo, publica Romani Juris Professio, quâ ante seculum malè exciderat Parisiensi Scholæ restituta est. At vixdum explicari nova studiorum ratio cœperat, cùm ecce novi turbines exoriuntur. Quidam ex eorum numero, qui Antecessoribus in auxilium dati fuerant,

Hirsuti & dura rusticitate truces
ut iis similes Martialis appellat, illi bellum, si non superiori gravius, certè equè periculosum intulere. Illustrissimum Tellerium cum libello, supplicem dicam an famosum? adeunt, lixarúmq[ue] in morem, disciplinæ ruinam, Scholæ Parisiensis & Jurisprudentiæ totius excidium plenis faucibus ejus auribus importunè obstrepunt, contumeliosas calum-

nias, qualésque vix Baucis Pannucia evo-
meret, in vulgus turbidi clamatores spar-
gunt, eandem næniam sèpius integrant,
sese totius Juridicæ Scholæ gloriam &
statum tueri ac sustinere lamentabilem
in modum quiritantes: ab Antecessori-
bus è contrario suâ intemperanter Pro-
fessione abutentibus ex illáque corra-
dendæ pecunię unicè inhiantibus singula
convelli. At quàm cito omnis ille ceci-
dit fragor! Quàm brevi ingens ab invi-
da & turbulentâ hominum gente com-
motus quievit pulvis! Quàm nullo ne-
gotio, imò primo cum illustrissimo Can-
cellario habito colloquio ab Hallæo præ-
sentium Collegarum nomine verba fa-
ciente diffata calumnia est! Quàm facile
ab oculatissimis, quos ille dedit contro-
versiæ Judicibus est intellectum aliud
nullum esse Antecessorum crimen, quàm
quod essent Antecessores, eorum autem
Ordini adscripti Doctores tantùm essent,
non Antecessores. Tua sunt hæc dicta,
Bezonci illustrissime, ô justum ac fortē!
O virum illius Ordinis, & publici boni
studiosum, ô meritissimum &, cuius
animum nulla anticipata unquam occu-
paret imbuerètve opinio honoris Deca-
num! O si ipsum fatorum iniquitas Juri-
dicæ Scholæ tam citò non invidisset!

Staret adhuc , staret , nec per tenebrio-
nes nescio quos ejus munera fuissent ex-
pugnata , nec sua , quibus Christiano-
rum Principum munificentia donatę fue-
rant , erepta , sed quae iis carebant , nova
slipendia essent procurata . O si non tam
morus & iracundos non contradicen-
tes , ut eos vocat Apostolus , sed commo-
dos ac faciles consiliorum factorumque
suorum adjutores Hallæus habuisset , quām
felicior ac letior Scholæ Juridicæ ratio ,
cūm privatim , tum publicè quām major
dignitas extitisset . Invitus recordor illa
tempora , quibus à malè feriatis homini-
bus illa invidiæ tempestas egregiis Ante-
cessoribus est conflata : recordor tamen ,
quia ad Illustrissimi Bezoncii , ad Hallæi ,
illorumque quorum industria ac forti-
tudine fracti debilitatique sunt hujus-
modi hominum impetus & quasi ad sco-
pulum allisi , laudem & gloriam faciunt
singularem .

Ex novo itaque illo cum novis homi-
nibus conflictu quasi vegetior factus Hal-
læus ad pensum revertitur . Stata pub-
licæ lectioni , stata publico privatōque
examini aut hora , aut dies Antecesso-
rem diligentissimum interpellat , è Mu-
sæo ad singula continuò se proripit , non
illum ganearum nidor aut fumus , non

voluptatum illecebræ à diurna functione vel momentum abstrahunt. Juris studiosis omnis ubique , quocumque tempore præsto est. Nec metuendum ne, ut illi apud Terentium , se in vicem commurantes, Juris Studiosi aliquando interrogarent : *Ubi illum queram ? Credo abductum in ganeam.* Aut , ut apud Plautum , alii : *Aliquò se in ganeam immersit.* Alia scilicet erat Hallæi vivendi ratio, mores alii , quorum diligens semper ut inspecto r, sic & severus censor fuit. Antecessoribus , sæpè inter colloquendum dicebat , pro lictore esse debet secura ditorum , factorumque conscientia , pro satellitio egregius virtutum omnium comitatus ; ad aliorum censuram assumuntur , quasi ad signum sagitta , sic & ad ipsos omnium oculi diriguntur : ut Solis deliquia magis, quam splendidissimi radii observantur , sic & oculos minus afficiunt egregiæ quibus lucent Antecessores , animi dotes , quam quibus ipsi carent , & ideo insito plerisque superbiæ typho non elatus , sed ab aucupandæ inanis gloriæ cupiditate omni prorsus alienus , se omnium modestissimè semper exhibuit , eoque sua consilia omnia referri voluit , non ut doctiùs loqueretur aut scriberet , sed ut sanctiùs viveret , suaque vitæ san-

Et imoniâ aliis ad vivendum sanctius exemplo esset. Et certè cui ludibrium non debeat, saepe dicebat, Thrasones illi, qui ex imo dicam, an ex fimo in altum, ut sibi videntur, elati Papinianos ad nau- seam crepant & Ulpianos, omnia scire se, alios nihil ridiculè deblaterant, moribus verò sunt tam parum castigatis. Meminerat quod est apud Julianum eos, qui ad laboriosum docendi munus accedunt, moribus primùm excellere oportere deinde facundia: noverat in iis morum candorem à Zenone requiri, eorum ad Justiniani mentem linguas non modò, sed & animas debere esse disertas. *

* L. Ma-
gistros.
Cod. de
Professor.
& Med.

que tamen tam austoris ac severis moribus Hallæus fuit, ut, siquando amicorum congressionibus & colloquiis, imò & conviviis vir frugalissimus interesset, illa eo genere salis non condiret, quo se à studiorum molestiis interdum relaxare eruditi solent. Procul enim à modestissimo viro mordacitas illa procax, aculeata & scurrilis, quâ ad labefactandam familiarium societatem exitiosius nihil, nihil periculosius esse unquam posse existimabat.

Ad morum probitatem accedebat illa ubique triumphatrix eloquentia, quam alteram Antecessoris dotem prædicant

iidem Imperatores quam illi tam necessaria-
riam esse Hallæus intelligebat, ut sinè ea
nec copiosè nec ornatè dicere, nec au-
ditorum animos ad discendum permo-
vere ullo modo posse arbitraretur. Et
certè in numerosum aliquem lectissimæ
Juventutis confessum prodeat bardus ali-
quis & qualem animo fingere possumus
Antecessorem, qui omnibus tum Gram-
maticæ præsidiis, tum Oratoriæ artis lu-
minibus destitutus, qui in sermonis bar-
barie quasi in sentina volutatus ad ele-
gantiæ nitorem & solem eloquentiæ ocu-
. los nunquam sustulerit. Hic in pulpitum
ascendat: ex eo vel mugiente uniusque
& ejusdem tenoris ac soni voce: vel om-
nis, quæ corporis eloquentia dicitur
actionis expers totusque quasi vehementi
frigore torpens ac concretus: vel patu-
lis, micantibusque digitis toto corpore
distortus: vel tetrica & obducta fronte,
caperato supercilio minitans Auditori-
bus: vel denique juvenilis ardoris im-
petu abreptus verba faciat, innumeros
Canones Legésve præcipitet, prægnans
illorum farragine pectus cum ostenta-
tione circumferat, omnia sinè ordine di-
gesta, sinè dispositione confusa, fœdissimâ
dictione horrida simul convolvat,
interpretum tamen aquile Cujacio se

— non annuat esse minorem.

Quid de tali stipite Papinianus eloquii viribus præpotens? Quid Ulpianus orationis copiâ facilis? Quid Paulus lactea ubertate suavis? Quid Affricanus presso sententiarum pondere concisus? Quid de eo omnes sentient? Quantis cachinnis, quâm frequentibus sibillis hominem excipient? Nec immeritò. Nam quid animum afficere potest, quod in ipso aurium aditu jam tum offendat & vulneret? Contra verò egregium aliquem Antecef-forem in suggeſto constituite, qui Latinâ ac perpolita oratione, quæ animo conceperit, ornatè & copiosè explicet, qui non vulgari & proletaria dictione lucem obscuris, ambiguis distinctionem, contractis explicationem afferat, qui egregia animi sui sensa, undanti, quâ industriè utitur voce, in Auditorum aures jucundè transfundat, quantam sibi omnium attentionem, quantam admirabilitatem, quantos plausus excitabit?

Quanquam quid ea impensis commemo-
rabo, quæ ex Hallæi præclaris cùm
orationibus, tum recitationibus, quâm
ex iis quæ à me dicuntur longè clarius
elucent? quâm admirabilis inter cæteras
illa, quam in ipsa Scholæ hujus instau-
ratione habuit, & illius encœnia inscrip-
ſit? Quâm elegans Jurisprudentiæ lau-

datio, quam Regi omnium Maximo nuncupavit? Quid postremam, quam,

*Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iamjam cadentis.*

majore quàm cæteras habuit suavitate, quam denique vehementiori spiritu animatam tanquam cygneam divini senis canticionem Auditorum nullus non suscepit? Quid denique omnes dicam, quas eum habebat, ejus sessitare in labris suada videbatur: In iis habendis quàm appositiè ad ipsum quod susceperat argumentum omnia ordinabat? Quàm uno eodemque filo singula contexebat! quam aliò desultoriè non divertebat: Si sacram aliquam concessionem haberet, quàm rectum propositi sibi argumenti cursum tenebat? Quàm ad alia eaque exotica & peregrina non aberrabat! Quàm ad aliquujus ex illis finē male confarcinatum aliquem maledicentię pannum, quo famę & existimationi Collegę detraheret non assuebat, assutum, perpetuò naufragante memoriâ, ex scripto in manus identidem sumto ad pompam non ostentabat! Quintus Mutius Scœvola Asiam, ad quam regendam missus à Senatu fuerat, tanta erga Romanum Populum fide, tanta erga Provinciales benevolentia rexisse dicitur, ut cæteris illam post eum

administraturis in perfectissimi Magistratus exemplum proponeretur. O! si quod suæ in publica hac docendi provincia fidei, integritatis, atque industriæ exemplum Decessoribus Hallæus reliquit, hoc ipsum quotquot sunt, imitentur!

Tot tamque egregiæ animi dotes ei primorum cùm sacræ, tūm profanæ militiæ procerum, hinc Marcæ, Bosqueti, Godelli, Sirmundi, Cossartii, Huetii, Launoii, Marollii & Choisii: indè Bocharti, Borbonii, Valesiorum, Puteanorum, Menagii, Segrefii, aliorūmque eruditissimorum suæ etatis hominum familiaritatem & amicitiam conciliaverant. A suis quoque Auditoribus, cùm propter industriam, tūm propter affiduam & facilem, quam ijs accommodabat operam, ac morum humanitatem diligebatur. In eorum gratiam, præter Canonicas Institutiones, quas in lucem, velut in famæ testamentum ediderat, varios ad Jus Canonicum & Civile tractatus, de Conciliorum & Summi Pontificis autoritate, de Regalia, de Beneficiis, de Regularibus, de Testamentis, de Matrimonio, de Simonia, de Usuris, & plura alia reconditionis doctrinæ monumenta reliquit, quæ à clarissimo viro

Joanne Hallæo Regi à Consiliis & Secretis ejusque hærede prope diem expectamus.

At pro dolor ! dum studio nimis indulget, febri continua corripitur, ita tamen ut, quod Piatoni summæ laudi est tributum, quòd scilicet ne extrema quidem ejus vitę hora studio vacaverit : quod Carneadi , cuius idem vivendi & philosophandi finis dicitur : quod Terentio Varroni , cuius in eodem lectulo & spiritus & egregiorum operum cursus est absolutus, hoc ipsum Hallæo singulari gloriæ & ornamento sit tribuendum, qui toto illo tempore per quod assiduâ febri conflictatus est , de pertinacibus studiis ne momentum quidem remiserit, sed primis extrema, mediis utraque, omnibus consonare voluerit universa : donec tandem instantis fati signa quasi presentiens paulóque ante quām in lectulo decumberet, Sacerdotem adiit , ut eo quo reconciliari Deo homines solent , Sacramento illi reconciliaretur , tum vi morbi lecto se dare coactus eum ad se accersit , cuius manibus , sanctissimis **CHRISTI** Domini Corpore & Sanguine pasceretur , moribundaque corporis membra ad illius è carcere exitum luctante Animâ, sacro infirmorum Oleo

ungeretur, quibus piè ac Christianè peractis, legatisque priùs Consultissimæ Facultati annuis centum Turonensibus libellis tum Sacro-sancto Missæ Sacrificio quater singulis annis obeundo: tum Antecessoribus & utriusque Ordinis Scholæ conscriptis præsentibúsque Doctoribus viritim distribuendis, ad Dei conspectum totus anheians, citra vim, singulūmque illum & quasi viator ex longo itinere dulcem somnum capiens, satûrve conviva ex epulo, caducā hac ac mortali vita perfunditus ad immortalem fermè octogenarius è Collegarum sinu feliciter evolavit. Elegans ei erat laudabiliterque procera totius corporis statura, apta & recta illius conformatio, color vividus, inter flavos & castaninos, dum juvenis erat, capilli, hilaris vultus, frons liberaliter explicata, cæsi ac micanentes oculi, nasus brevem inter & longum medius, genæ rubro & candido colore jucundè perfusæ.

Verum, quid egregias Clarissimi Viri cum animi, tum corporis dotes pluribus commemoro, quarum recordatio, tam excellenti viro amisso, magis acerbo dolore mentem excruciet. Abstulit scilicet,

*Abstulit una dies avi decus ietaque luctu
Conticuit Latia tristis facundia lingue.*

Eum, inquam, abstulit, de qua, ut de

fratre suo Comicus adolescens, *nunquam ita magnificè quidquam dicam, id virtus quin superet ipsius?* Eum, cui, cum egregia facta immortalitatem promerita viderentur, fata, iniqua heu fata! nostro omnium desiderio mortem intulerunt.

E quando invenient parem!

Facilem fortitus est mortem, qui placidam vitam duxerat. In quo quidem, quis inter tot tantaque divini erga Te amoris argumenta *εὐθαρασίας*, illam Tibi immensum non gratuletur, Hallæe? *Quis* Tibi postremum hunc vitae actum tam quietè absolutum non invideat? nec pertinaciter Te cum fati acerbitate luctantem, sed totum divinae voluntati summissum defecisse. *Magnum* quippè est, aiebat ille, *multa scire & docere sapientiam, sed, nisi facta dictis consentiant, remanet nudum & inane sophiste nomen.* Ut Philosophos illos merito rideat Lucianus, qui totâ vitâ, *μελέτη θαράτη* professi ultima hac ac decretoria ejus hora trepidant animûmque desponent: absint igitur,

Absint inani funere nenia

Luctusque turpes & querimonia.

Hallæus scilicet mortuus est, at satis diu naturæ, immensum gloriæ vixerat: quamquam, quid mortuum dico? imo vivit adhuc ac quemadmodum Sybilla Delphica ne

morta quidem vaticinari desit voxque illius aëri permixta sortibus se & auguriis infundebat, sic magna illius mens juridicæ adhuc Scholæ infusa ejus mihi etiamnum agitare molem videtur, nostrumque singulos ad suum unumquemque pensum excitare: dicam amplius, quemadmodum Lusciniæ, quæ juxta Orphei tumulum nidos posuerant, quam aliae longè suaviorem edebant cautum, sic nos illius memoriâ excitati nescio quid dignius, nescio quid pinguius sonamus: vivet ergo vivet perpetuum in nobis Hallæus: vivet in vobis Clarissimi Magistratus, quos recitationibus suis juris & æqui præceptis informavit. Vivet in vobis eloquentissimi divini Verbi præcones: vivet in vobis facundissimi Patroni, quos in Schola Rhetorices oratoriis institutionibus ad sacræ & forensis Eloquentiæ arcem evexit; ut jam de principe hac Juris Schola idem dici merito possit, quod de Burdigala sua quondam Ausonius ostentabat: *

*Mille foro dedit hac juvenes, bis mille Senatus
Adjecit numero, purpureisque togis.*

* Auson.
in Tib.
Vivit Mi-
nerv.

Nimirum pro una, quam egregia animi sui sensa explicare Hallæus solebat voce, quam innumeræ in illis omnibus nactus est; quibus ejus fama nominis æternitati consecratur, quibus in tota Parisiensi Academia

28 PETRI HALLÆI ELOGIUM.

audiatur, cuius inter Rethores facundissimus semper habitus est : quibus in singulis Galliæ Tribunalibus, quibus tot aut Magistratus, aut Patronos dedit : quibus in publicis istis Juris Scholis quas tanto studio ac cura excitavit, quas per continuos triginta sex annos suæ in docendo fidei ac industriæ, suæ doctrinæ atque eruditionis splendore illustravit, audiatur.



18

18



